

Quaestio Liturgico-Moralis.

Scripsit P. Petrus Doeink, O. S. B.

Ex praescripto Caeremonialis Episcoporum¹⁾, quodcumque Episcopus in propria ecclesia Missam solemnem est celebraturus, tali Missae (excepta Missa Defunctorum Hora canonica iuxta rubricas Missalis conveniens immediate est praemittenda. Ritus celebrandi talem Horam Caeremoniale Episc.²⁾ describit hoc modo: „Episcopus . . . dicit secreto totum Pater noster et Ave Maria. Tum . . . incipit Horam Tertiam dicens: Deus in adiutorium etc. choro prosequente . . . Incepto Ps. Legem pone mihi Dne. etc. Episcopus sedebit . . . chorus autem prosequetur Psalmos . . . Episcopus vero sedens legit Ant. Ne reminiscaris etc. et Psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus . . . alternatim respondentibus . . . Lectis Psalmis et Orationibus . . . incipit legere . . . Orationes, quae pro paramentis induendis ordinatae sunt . . . Dicta per eundem Oratione Da Dne etc. . . . lavat manus . . . Statim lotis manibus . . . induitur Episcopus per Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris . . . Si Psalmi Tertiae non sint perfecti, sedet Episcopus expectans, donec perficiantur; quibus finitis . . . Subdiaconus . . . Capitulum cantabit . . . Tunc Episcopus surgit cum mitra versa facie ad ipsum Subdiaconum cantantem Capitulum . . . Finito Responsorio Episcopus . . . cantat in tono festivo Dnus vobiscum et Orationem et dicto per chorum Benedicamus Dno, ipse Episcopus, deposito pluviali, a Diacono et Subdiacono induitur tunicella etc.“

Attento praedicto ritu patet, Episcopum eiusque Ministros, quamvis revera Horae intersint, Psalmos tamen Horae vel ex toto vel ex parte cum Choro canere non posse. Cum vero etiam Abbates usu Pontificalium gaudentes et in propria ecclesia solemniter celebrantes sequi debeant Caeremoniale Episc., non inutile videtur proponi et expendi sequens.

Dubium: Utrum satisfaciant obligationi recitandi officium divinum Praelatus pontificaliter celebraturus, dum tempore Horae canonicae legit praeparationem ad Missam et induit paramenta? — Item Diaconi assistentes, qui ad praeparationem illi alternatim respondent et postea sacras vestes assumunt? — Deinde Capellani, qui in praedictis Praelato ministrant? — Porro Diaconus et Subdiaconus, qui Praelatum sacris indumentis parant? — Demum Caeremoniarius, dum Praelato ministrat vel necessaria disponit? — An teneantur supplere ommissa?

De obligatione (in fine Officii supplendi ea, quae quisque propter functiones chori non dixerit) silent omnino Caeremoniale Episc. eius-

¹⁾ Lib. II. cap. VIII. n. 5; cap. XII. n. 2; cap. XIV. n. 6; c. XVI. n. 20; cap. XVIII. n. 22; cap. XXIII. n. 4; cap. XXV. n. 15; cap. XXVII. n. 11. cf. S. R. C. 15. Sept. 1753 in Casal. (Gardellini n. 4235); 25. Sept. 1852 in Venetiar. ad 3. (Gard. n. 5180.)

²⁾ Lib. II. cap. VIII. n. 5 seqq.

que tam recentiores quam veteres Commentatores; si excipias cl. De Herdt, qui in libro „Praxis Pontificalis“¹⁾ sequentia asserit:

„Notandum est, illos qui infra officium in choro parant aut transferunt libros, perquirunt Psalmos, pulsant organa vel campanas, vel alia choro necessaria peragunt, item qui altaria thurificant, se parant ad Missam conventualem celebrandam etc., non teneri omnia supplere²⁾; eo quod, dum aliquis occupatur in rebus ad officium pertinentibus, totus chorus pro eo supplet. Hoc tamen limitandum est ad obligationem choralem, nam si quis ex ordine sacro ad officium sit obligatus, huic obligationi non satisfacit, et ex hoc titulo omnia per se supplere tenetur.“

Cum cl. De Herdt regulam tritam: „dum aliquis occupatur in rebus ad officium pertinentibus, totus chorus pro eo supplet,“ ad obligationem choralem limitet, necessarium videtur, primo recensere S. Alphonsi de Ligorio et aliorum Auctorum sententias de eadem regula.

S. Alphonsus³⁾ docet: „Notandum 3. quod in choro non tenentur omnia supplere ii, qui dum alii cantant, parant aut transferunt libros, perquirunt Psalmos, pulsant organa, aut campanas, vel alia choro necessaria peragunt; tunc enim per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt. Ita communiter cum Bus. inf. n. 156; Aror. lib. 10 cap. 13. 9. 2; Salm. h. 16. cap. 1. p. 3. n. 19. Anacl. p. 197. n. 52; Laym. cap. 5. n. 7. cum Sot. Sylvest. et Henr. ac Croix, lib. 4. n. 1300, cum Valent. Reg. Escob. et Gobat contra Pal. p. 4. n. 7; Bonac. p. 2. §. 1. n. 13; cum Navarr. Vasq. Sa. Fill. etc. qui dicunt, hos satisfacere quidem assistentiae choralis quoad distributiones lucrandas, sed teneri ad supplendum, si non attenderint ad ea, quae interim sunt recitata. Et idem sentit Holmr. pag. 448. n. 471. qui tamen excusat, si modica sit materia, puta quae ad integrum Psalmum non pertingat. Sed satis probabilis est prima sententia, eo quod, dum aliquis occupatur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, totus chorus pro eo supplet; prout qui Missae inservit, censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit, ut dicunt Tolet. et Rodr. apud Laym. l. c. qui notat, idem docere Sotum, Navarr. Arag. et Rodr. de eo, qui choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculum suae partis proferat: sed huic non acquiesco, dum recte doceat Bonac. l. c. cum Molf., officium tunc integre non recitari, quia organum verba non profert.“

Et infra enumerando causas quae excusant a recitatione Horarum, n. 156. ponit secundo loco: „Justum impedimentum ex quo excusantur Sacerdotes, „qui occupantur tota die in officiis religionis aut charitatis, quae sine scandalo etc.“ Deinde de verbo ad verbum

1) Praxis Pontif. lib. 1. n. 243. in fine; eadem habet eiusdem Auctoris Praxis Capitularis cap. XXVI. §. V. n. 1.

2) S. Alph. de Lig. Theol. mor. lib. IV. n. 143. not. 3. Luc. Ferr. Offic. divin. art. III. n. 18. Scarfanti, Lucubr. canon. lib. II. tit. 7. n. 5—8.

3) Theol. mor. loc. cit.

adiungit sententiam Busenbaum (lib 4. c. 2. dub. 2. art. 3. resp. 2.): „Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, quod neglexisti (nec recitando nec audiendo), dum thurificando ad Magnificat vel Benedictus, vel libros necessarios circumferendo, vel Lectionem mox cantandam praeviendo, vel alia choro necessaria peragendo occupatus fuisti, quia chorus totus pro eo, qui in re ad officii celebritatem pertinente occupatur, videtur supplere, et non tantum suo, sed etiam aliorum ministrantium nomine recitare aut canere. Ita Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 7; Henr. Sylv. Aror. Sot. Molf. Arag. Regin. citati a Diana. p. 2. t. 12. resp. 8. etc.“ Et in fine remittit ad supradicta (n. 143. vers. Notandum 3.).

Brevius quidem sed non minus clare mentem suam aperit Ferraris ¹⁾. En ipsius verba: „Qui inter publicam Horarum canonicarum recitationem ex officio vel Superioris mandato occupantur in parandis libris, praevidendis Antiphonis, seu Lectionibus, in pulsandis organis, in thurificandis altaribus, in sonandis campanis et huiusmodi, non tenentur repetere ea, quae alii, ipsis non audientibus, canunt seu recitant, quia chorus, cui inserviunt, supplet pro ipsis. Communis.“

Scarfantoni ²⁾ (quem allegat De Herdt) non agit nisi de Hebdomadario, qui in Vesperis incensat ad Magnificat, et de Canonico, qui, deficiente organista, pulsat organa ad Hymnum et Magnif., quos excusat a repetitione.

Ex citatis patet, nec S. Alphonsum nec Ferraris nec Scarfantoni ullo modo sententiam suam limitare ad obligationem choralem; imo S. Alphonsus ³⁾ verbis expressis reiicit limitationem eorum, „qui dicunt, hos satisfacere quidem assistentiae chori quoad distributiones lucrandas, sed teneri ad supplendum.“

Sententiae S. Alphonsi adhaerent recentiores D' Annibal ⁴⁾, Gury ⁵⁾, Scavini ⁶⁾, Konings ⁷⁾, nulla apposita limitatione. Imo Ballerini regulam S. Alphonsi in annotatione sua a Gury ⁸⁾ extendere non dubitat: „Valere haec debent etiam in privata plurium simul recitatione.“

Sine restrictione denique traditur praedicta regula Clericis ordinandis in seminariis Oenipontensi, Herbipolensi, Parisiensi, Namurcensi, aliis.

E contra De Herdt a communi Auctorum sententia recedens pro limitatione a se asserta nullum ex probatis Auctoribus adduxit argumentum.

Porro si Auctor, obligationem choralem opponens obligationi ex ordine sacro, in praecedenti sua sententia loqui voluit tantum de Cho-

1) Offic. div. loc. cit.

2) Lucubr. can. loc. cit.

3) Loc. cit. 143.

4) Summula Theologiae moralis, part. III. n. 502.

5) Compendium Theologiae moralis, tom. II. n. 55. quaer. 7.

6) Theologia moralis universa, lib. II. 206, edit. 12.

7) Theologiae moralis S. Alphonsi in compendium redacta, n. 1096. quaer. 7.

8) Loc. cit. not. (a).

ristis ordine sacro non initiatis, certe inepte apposuit: „qui altaria thurificant, se parant ad celebrandam Missam conventualem“ — munera, quae solis sacerdotibus conveniunt.

Si vero praedicta distinctione dividere voluit obligationem Beneficiarium contra obligationem non Beneficiarium, praecedens sententia limitata falsa mihi videtur; nam

a) Aut Beneficarii non sunt sacris initiati, et tunc, sicut Sacerdotes non beneficiarii, imo maiori videntur obligatione teneri supplere ommissa¹⁾.

b) Aut Beneficarii sunt Sacerdotes, et tunc duplici obligatione obstringuntur supplere.

Relicta igitur singulari sententia De Herdt, nullis probatis argumentis fulta, iam accedimus ad solvendum dubium.

Unde et ex quo tempore invaluerit usus, ante Missam Pontificalem solemniter inchoandi Horam Tertiam vel aliam convenientem, et interim legendi Psalmos praeparatorios, non satis explicant Commentatores Caerem. Episc. et S. Liturgiae Expositores. Liqueat tamen ex Caeremoniali Episc. eiusmodi usum (quem, iuxta Catalani²⁾, observat etiam Summus Pontifex) nunc valere, adeo ut quandoque etiam ordo officii per rubricas Missalis praescriptus inverti, et benedictio candelarum, cinerum, ignis et cerei Paschalis praeponi debeat Horae canonicae per Episcopum (si tali die solemniter celebrari voluerit) immediate ante Missam praemittenda³⁾.

Stante igitur praecepto Caeremonialis Episc. ad dubium propositum censeo

Resp. 1. Praelatus, qui se parat vestimentis sacris (ut supra) et Ministri omnes in tali actu ei inservientes occupantur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, ideoque illis applicanda erit supradicta regula de non repetendo ommissa.

Probatur: Praelatum ad Horam Tertiam vel aliam esse vere Celebrantem, patet non solum ex supradictis functionibus per Caeremoniale ipsi iniunctis (solemniter scilicet inchoandi et terminandi Horam praedictam), verum etiam ex aperto textu praedicti Ceremonialis⁴⁾: „Excipitur tantummodo Hora Tertia, quam si Episcopus est solemniter Missam celebraturus, pariter et ab illo celebrari convenit, prout latius in sequenti capite (scil. cap. VIII. cit.) declarabitur.“ Ad

1) „Obligatio,“ ait P. Antoine (Theologia moralis, De virtut. Relig. cap. 1. quaest. III. resp. 2. et 3.) „in Clericis non beneficiatis et Religiosis ac Monialibus recitandi privatim, si in choro non recitaverint, oritur praesertim ex antiqua et universali Ecclesiae consuetudine vim legis habente et fundata in eorum statu a Dei cultum instituto, et constat ex communi usu et consensu totius Ecclesiae, ut docet Suarez;“ et post pauca addit: „Omnes Beneficarii non solum ex religione ut supradicti, sed etiam ex iustitia (scil. obligantur), quia sub hoc onere beneficium eis collatum est et ab eis acceptatum.

2) Caeremoniale Ecclesiae Romanae, lib. II. tit. 1.

3) Caeremoniale Episc. lib. II. cap. XII. n. 20; cap. XVIII. n. 22; cap. XXVII. n. 11.

Ibid. cap. VII. n. 8.

celebritatem vero Horae Tertiae pertinet ritus induendi Episcopum vestibus sacris, ut supra dictum est. Ergo omnes hunc ritum exsequentes occupantur in rebus ad officii celebritatem pertinentibus, ideoque excusantur ab obligatione supplendi ea, quae interim a choro cantantur.

Resp. 2. Psalmi praeparatorii cum Versibus et Orationibus ad ritum quodammodo Horae Missam Pontificalem praecedentis pertinent, ideoque illorum recitatio tanquam compensatio ab ipsa Ecclesia instituta et acceptata, pro Psalmis Horae omissis habetur.

Probatur 1^o comparando praedictam praeparationem cum ritu incensationis in Vesperis et Laudibus solemnibus.

Ex praecepto Caerem. Episc. 1) in Vesperis et Laudibus solemnibus, sive per Episcopum sive per Sacerdotem celebratis, incepto Cantico Magnificat vel Benedictus fit incensatio altaris et chori. „Advertant“ monet Caeremoniale 2) „interim cantores et organista, ut cantum et sonum invicem alternatim ita dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonae incensatio sit expleta.“

Lege prorsus simili Caeremoniale praescribit Episcopo, ut inceptis Psalmis Horae canonicae per ipsum celebratae legat Psalmos praeparationis etc. et similiter admonet chorum 3), ut Psalmos Tertiae lente prosequatur, interposito etiam, si opus videbitur, post quemlibet Psalmum organi sonitu, ita ut eodem tempore illos perficiat, quo Episcopus suos Psalmos cum suis Versibus legerit et paratus fuerit. 4)

Sicut igitur incensatio altaris et chori ex praecepto Caeremonialis Episc. ad officium Vesperarum et Laudum solemnium pertinet, ita ritus praeparationis ex parte Episcopi ex praecepto eiusdem Caeremonialis pertinet ad Horam, quae Missam Pontificalem praecedit.

Atque nulla lege praescribitur, ut is, qui thurificat altare et chorum, finitis Vesperis vel Laudibus suppleat Canticum omissum. Imo S. Rituum Congregatio usum recitandi inter thurificationem altaris praedictum Canticum (quod sane facilius est, quam recitare Ps. Misere in aspersione chori et populi, vel Dirigatur etc. in thurificatione altaris ad Missam) nequaquam censuit declarandum praeceptivum, sed tanquam laudabilem tantum commendandum 4).

Item nec Caeremoniale nec S. R. Congregatio, multoties loquens de obligatione Canonicorum assistendi Episcopo, unquam ullo verbo obligationem innuat, repetendi ea, quae interim sunt cantata.

1) Lib. II. cap. I. II. III. VII. etc.

2) Ibid. cap. III. n. 13; cf. cap. I. n. 16.

3) Ibid. cap. VIII. n. 8; cf. cap. XIV. n. 8.

4) In Lucion. 12. Aug. 1854.

Dub. XXXIX. Utrum in Vesperis solemnibus Hebdomadarius thurificans altare debeat interim recitare Canticum Magnificat anima mea Dominum, alternatim cum duobus assistentibus, prout moris est in pluribus ecclesiis, quamvis Caeremoniale Episc. prorsus sileat de hoc ritu? vel Celebrans nihil dicens hanc thurificationem peragere debeat, sicut fit in aliis ecclesiis?

Resp. Laudandum usum recitandi in Vesperis Canticum Magnificat in thurificatione altaris. (Anal. Jur. Pontif. sér. II. fol. 2195.)

Ergo quod Auctores de incensatione altaris et Cantico dicunt, pariter de praeparatione Episcopi et Psalmis Horae dicendum videtur.

Probatur 2^o. Suppono tanquam certum: tales vel tales Psalmos tali Horae non ita proprios esse, ut per auctoritatem ecclesiasticam alii Psalmi subsitui nequeant (sic Breviarium monasticum a Paulo V. approbatum quoad distributionem Psalmorum in multis discrepat a Breviario Romano).

Atqui Ecclesia in Caeremoniali Episc. praecipit Episcopo, ut, dum a choro cantantur tres Psalmi Horae convenientes, ipse cum assistentibus Canonicis legat quinque Psalmos etc. ad Missam mox cantandam spectantes, nihil monens, ut praecepto non obstante tres Psalmi Horae debeant suppleri.

Ergo Ecclesia praedictam praeparationem tanquam partem Horae Missam Pontificalem praecedentis reputare videtur.

Adde, quod Caeremoniale hic episcopo eiusque assistentibus praescribit praeparationem, quam Missale Sacerdoti simplici proponit pro opportunitate faciendam. Alienum autem videtur a discreta mente Ecclesiae, imponere tale praeceptum, firma manente obligatione repetendi ea, quae interim sunt cantata.

Probatur 3^o. Cum ex praecepto Caeremonialis Episc. iubeatur Episcopus Horam inchoare et terminare, et ex eiusdem praecepto loco Psalmorum Horae legere teneatur praeparationem ad Missam, Hora praedicta evaderet mutilata ex parte Episcopi eiusque Ministrorum, nisi supradicta doctrina esset vera. Quod cum videatur valde inconueniens, pro eadem standum est.

Probatur 4^o. E contra si Clerici in sacris ordinibus constituti etiam in choro strictim ad suam partem recitandam obligarentur, nonne potuit, imo debuit Caeremoniale Episc. praescribere, ut primitus Hora cantetur, deinde choro silente Episcopus praeparationem legat et se paret ad celebrandum, ne ex parte tot personarum Episcopo ministrantium Hora mutilata evaderet? Sane potuit, nam fecit pro longissimo per annum officio, scilicet in Sabbato sancto, — minime vero, ne Hora ex parte Episcopi eiusque ministrorum mutilata evaderet, sed, ne tempore, quo chorus Christum adhuc luget passum et sepultum, Episcopus per Versus Gloria Patri et Filio etc. in fine Psalmorum praeparationis adiungendum ¹⁾ illum iam annuntiet glorificatum.

Concludendo ergo censeo: praxim non repetendi Psalmos Horae ante Missam Pontificalem praecedentis tuta conscientia a Praelatis celebrantibus eorumque Ministris retineri posse.

¹⁾ Caerem. Episc. lib. II. cap. XVII. n. 12.